



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Nostra sententia proponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

illico respondere solet, emisse se statuam, pallium, gladium, arthropem, aliudve ens per accidens: perperam igitur philosophantur aduersarij, cum nomine rerum sola entia substantialia venire existimant. Quartò demum: quia oportuisset rationem aliquam reddi, cur sola substantia res vulgò appelleretur, ut eam solam ita appellati gratis supponamus.

8 Alij docent, substantiam esse primam radicem essendi, vel præcipuam radicem operandi, & hanc definitionem nulli substantiæ non conuenire, nullique accidenti conuenire censent: siquidē si de substantiis immaterialibus, ac simplicibus sermo sit, natura Angelica est non solum prima radix essendi, quaque nihil prius in Angelo habet esse, verum etiam præcipua radix operandi, quaque nihil in Angelo præstantius est; accidentia autem Angelica ordine naturæ, & ordine dignitatis eius substantia posteriora sunt. Deinde si de substantiis compositis sermo sit, materia prima est prima radix essendi, quaque nihil in composito prius habet esse: forma verò etsi non sit prima radix essendi, aut fortè etiam operandi, nec nisi post materiam sit, & operetur; cæterum est præcipua radix operandi, quaque nihil præstantius est in composito: accidentia verò compositis nihil horum habent. Hanc sententiam alij hoc modo, alij aliis multis proponunt: cum tamen omnes paruo interstitio differant, non est, cur sigillatim referantur, aut reiciantur.

9 In primis igitur displicet proposita sententia: quia substantiam in communi per eius species, ac partes subiectiuas definit: haud secus ac si quis animal definitur rationale, vel irrationale. Secundò, quia iuxta hanc sententiam vnio substantia non foret: siquidem non est prima radix essendi, cum materiam existentem ordine naturæ supponat: nec etiam est præcipua radix operandi, cum forma imperfectior sit. Quòd verò sit conditio sine qua forma non operaretur, parum refert: namque approximatō localis, calor, & alia accidentia rationem conditionis respectu formæ operaturæ sibi vendicant, quin tamen ad conditionem substantiæ assurgant. Tertio, quia eadem ratione substantia (quam aduersarij quid completum censent) non esset substantia, cum nec sit prima radix essendi, utpote naturæ superaddita, nec præcipua radix operandi, utpote formæ, aut certè tota natura imperfectior. Tandem, quia probabile est, materiam aliquam esse magis perfectam eâ formâ substantiali, quam suscipit: at in composito ex eiusmodi materiâ, & formâ, nec forma esset prima radix essendi, nec etiam præcipua radix operandi: siquidem posterius, quàm materia existeret, & perfectius quàm illa existeret, ac etiam operaretur, cum tamen substantia proculdubio futura esset.

10 Demum alij censent, substantiam in eo consistere, ac differre ab accidenti, quòd sit finis cæterorum, quæ in ente completo reperiuntur: quasi vero accidentia non essent finis *qui* substantiæ, sicut substantia est finis *cui* accidentium: aut quasi esse non esset propter operari: ac per consequens propter accidentia, per quæ res est operatura: haud aliter ac operationes, & accidentia sunt propter esse substantiale rei, eiusque perficiendæ gratia. Quòd si substantiam non per finem qualemcunque, sed per finem *cui* Auctores hi definiunt, velim, mihi respondeant: cur homo potius sit finis *cui* accidentium, & non è contrariò. Certè non alia ratione, nisi quia homo est persona illa, vel substantia completa, cui accidentia intenduntur: hæc verò sunt bona illa, quæ illi intenduntur: iam ergo substantia per finem *cui*, & finis *cui* per substantiam vitioio circulo explicatur, ac tota res inexplicata, & confusa remanet.

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

CAPVT III.

Nostra sententia proponitur.

11 **A**Rbitror substantiam, prout ab accidenti distinctam, eam esse, quæ habet esse completum distinctum realiter ab omni collectione rerum, partiumve realiter distinctarum; aut id, quod eiusmodi esse constituit, siue componit. Probatur primò, quia ens per accidens dicitur illud, quod in collectione rerum realiter distinctum consistit, album, verbi gratia, in pariete, & candore, & congeries lapidum in lapidibus ipsis prope se positis, & cumularis: igitur ens per se, quod distinguitur contra ens per accidens, rectè dicitur id, quod in eiusmodi collectione formaliter non consistit: cum ergo substantia omnium consensu sit ens per se, rectè à nobis sicuti nuper definita est. Secundò, quia nulla est substantia, cui data definitio incongrua sit, & nullum accidens, cui congruat: ergo, &c. Prius quidem suadetur: quia quod ad substantias simplices, & incorporeas attinet, essentia Angelica, quæ sola in Angelo substantia est, fortitur esse completum ab omni aggregatione partium distinctum, eo quòd Angelus omnis compositionis essentialis, aut etiam integralis expers sit. Quòd verò ad substantias materiales, & compositas attinet, totum ipsum per se homo, v.g. aut equus habet sum esse completum realiter distinctum à collectione partium, ut in Physica lib. 2. tract. 9. cap. 1. ostensum est. Deinde materia, forma, & vnio eiusmodi totum essentialiter, & quidditatiuè constituunt: at præter materiam, formam, & vnionem, ac totum per se ex his resiliens, nulla substantia in ente materiali completo reperitur. Posterius verò suadetur: quia vel sermo est de accidenti in concreto de albo, v.g. & huiusmodi accidens, etsi habeat esse completum, tamen illud à collectione rerum realiter distinctarum minimè distinguitur: vel sermo est de accidenti in abstracto de albedine, v.g. & huiusmodi accidens non habet esse completum, nec constituit esse completum, de quo in d. finitione loquimur.

12 Tertio, quia substantia dici solet, ac debet id, quod subsistit: at iuxta nostram definitionem rectè intelligitur, substantiam esse omne, & solum id, quod subsistit, siue suppositatur: ergo, &c. Minor perspicua est, quia vel sermo est de ipso esse completo realiter distincto à quavis pluralitate: & huiusmodi esse, siue ex partibus resultet, siue partium expers sit, substantia, siue suppositum est, ut inferius exponemus: ac proinde non in alio, sed in se subsistit: vel sermo est de partibus, quibus eiusmodi esse completum coalescit, videlicet materia, & forma unitis: & hæc in toto, ac per totum subsistunt: at præter esse completum, & partes, ex quibus interdum resultat, nulla est substantia: ergo omne id, quod est substantia iuxta præfatam definitionem subsistit: quodcunque verò accidens est, & non substantia, nescio quatenus iuxta eam subsistere possit, cum nec sit esse completum, in quo suppositum, siue substantia collocatur, nec illud constituat. Maior verò facile suadetur ex Augustino 7. de Trinitate, cap. 4. ibi: *Sicut ab eo, quod est esse, appellatur essentia: ita ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus.* Et ex Isidoro lib. 1. differentiar. capite 4. ibi: *Substantia est id, quod non ab alio, semper ex se est: id est, quod propria in se virtute subsistit.* Id ipsum docent Ariminensis in 4. distinctione 8. quæstione 3. Suarez disputatione 33. metaphysica sect. 1. Collegium Conimbr. 1. p. Logica c. 5. quæst. 1. art. 2. & alij communiter. Idcirco autem sub-

stantia à nobis per substantiam non definitur, sed solum definitio substantia quasi à posteriori à nobis per substantiam probatur: ne videlicet, cum substantia inferius per substantiam definienda sit, circum vitiosum committamus.

13 Verum contra hanc sententiam obici potest primo, totum per se non distingui realiter à suis partibus, sicuti supponitur. Secundo, essentiam diuinam non habere esse completum realiter distinctum ab omni pluralitate, cum tribus personis eadem sit, & tamen substantiam esse. Tertio substantiam à nobis definiti per conceptum disiunctiuum, siue per eius inferiora, substantiam nimirum completam, & incompletam in hunc modum: substantia est esse completum, &c. vel esse completum, quod ad eiusmodi complementum quidditatiue attinet: recidimus ergo in vitium, quod in aliis carpinus. Quarto, distingui à pluralitate est attributum vnitaris, aut certe veritatis: quorum alterum nobis: alterum aliis placuisse lib. 2. tractatu 5. cap. 2. & tract. 6. cap. 1. huius operis ostendi: ergo cum substantia per eiusmodi distinctionem definitur, per attributum aliquod entis, aut substantia definitur: ac proinde magis describitur, quam definitur.

14 Ceterum hæc argumenta ponderosa non sunt. Ad primum lib. 2. Phys. tract. 9. factum est satis. Ad secundum respondeo, essentiam diuinam non distingui à collectione plurium personarum realiter inadaquate distinctarum: ceterum distingui à quauis collectione rerum realiter adaequate distinctarum, quæque nec immediate, nec mediate, siue in tertio identificentur; nobis autem de hac sola posteriori distinctione sermonem esse. Ad tertium respondeo: definitio à nobis data ita exponi potest, ut distinctionem omnem inferiorum excludat: etenim hoc, quod est, quidditatiue attinere ad esse completum distinctum ab omni pluralitate, ab omni distinctione, atque descensu ad inferiora substantia abstrahit: aliunde vero nulla est substantia, cui talis conceptus non congruat: siquidem substantia incompleta quidditatiue attinet ad esse completum, quod constituit: ipsum vero esse completum ad seipsum quidditatiue attinet, cum sibi ipsi nihil non quidditatum sit. Quid? quod substantiam completam, quæ sola prædicabilis est, definiuisse absque distinctione satis sit.

15 Ad quartum respondeo: in primis veritas, aut, si mauis, vnitas, abstrahit ab eo, quod esse, quod distinguit, completum, vel incompletum sit. Deinde esse rei non præcisè à pluralitate, sed ab omni non ipsa distinguit: cum ergo substantia à nobis definiatur per distinctionem, non vtunque, sed à pluralitate, & insuper per esse completum: certè per meram vnitatem, aut veritatem à nobis minime definitur: solumque nostræ definitionis aliqua particula ad vnitatem, aut veritatem quodammodo reducitur. Præterea, esto distinctio illa sit vnitas, aut veritas: certè substantia à nobis per passionem non definitur, sed per ordinem, & respectum ad illam: hac ratione substantia est esse completum, quod distinctionem à pluralitate superius explicatam fundat. Sicuti autem res definiuntur sæpe numero per respectum ad effectus, cum quorum existentia nec connectuntur, nec conuertuntur: homo, verbi gratia, per animal rationale, seu principium sensationum: ita à fortiori res aliqua defini potest per habitudinem ad passionem aliquam suam, cum qua recipiatur. Tandem quod inferitur, explicationem substantia à nobis traditam non esse definitionem, sed descriptionem, tantum abest ab inconuenienti, ut expressè doceat Augustinus aliter substantiam explicari non posse;

nam de categoriis cap. 10. sic ait: Descripta igitur vsia, quoniam defini non potuit propter eas causas, quas superius memorauimus, &c. Porro superius cap. 9. causam exhibuit in hæc verba: Sed vsia quoniam secundum artem defini non poterat, quæ præcipit, ut definitio quod possit, tendat; latius à genere sumat exordium: ipsa autem vsia genus non habet, cum omnia ipsa sustineat, per partes eam voluit definire, &c. Quibus verbis significat, vsiam, siue substantiam defini, siue per genus, & differentiam explicari non posse: eo quod substantia prædicamentum, siue primum genus sit: ac proinde sub genere superiori minime contineatur.

CAPVT IV.

Cuiusmodi sit diuissio entis in substantiam, & accidens?

16 Hactenus substantiam, & accidens inter se contulimus: modò cum ente, quod diuidunt, conferenda sunt: atque in primis dubitari solet circa eam diuisionem entis, an adaequata sit, omnesque entis species complectatur: siquidem nonnulli Thomistæ cum Dominico Banez 1. part. partem negantem tuerentur, & existentiam ens quidem esse videlicet in actu, non tamen substantiam, aut accidens arbitrantur. Ceterum hæc opinio ab ipso Banezio secunda editione primæ partis retractata est, & apud plerosque alios iam antiquata: namque existentia, & quicumque similis conceptus est ens: ergo vel est ens per se, & sic substantia erit: vel est ens non per se, sed in alio, & sic accidens erit: nodum igitur in scripto quarit, qui inter hæc duo medium aliquod ab alterutro distinctum inuestigat.

Rursus circa eam diuisionem quæri potest, quodnam sit eius diuissio: siquidem plures cum P. Suarez disp. 3. 2. metaphys. sect. 1. tenent, diuissum eius diuisionis esse ens creatum: quia suprema entis diuissio ac reliquis ordine naturæ prior est eam, quæ in ens creatum, & increatum dissecatur: videlicet, quia ens creatum, & increatum maxime inter se distant, & multo magis, quam substantia, & accidens; aliæque quauis membra diuidentia: eo quod prior illa distantia sit infinita; hæc verò finita: ergo quauis alia diuissio entis est ordine naturæ; atque doctrinæ posterior diuisione entis in creatum, & increatum: ergo diuissio entis in subiectum, & accidens est ea posterior: at non alia ratione, nisi quia ens in communi diuiditur in ens creatum, & ens increatum: & rursus ens creatum in substantiam, & accidens: vnde fit, ut ens creatum sit diuissum eius diuisionis, quæ ens in substantiam, & accidens finditur.

17 Ceterum oppositum probabilius est: nam substantia prout abstrahit à creatura, & increata membrum alicuius diuisionis, & species subiectiua alicuius rationis superioris esse debet, cum non sit ratio omnium vniuersalissima, ut exploratum est: at cum alio, quam accidenti vt sic, diuidere, seu membrum alicuius diuisionis esse non potest: cedo enim aliud, cum quo rationem aliquam superiorem dissecare possit: ergo simul cum accidenti rationem aliquam communem diuidit: eiusmodi autem ratio communis nequit esse ens creatum, cum substantia abstrahens à creatura, & increata, ens creatum minime sit: igitur est ens in communi, prout à creatura, & increata abstrahit: atque adeo hoc est diuissum eius diuisionis, quam substantia, & accidens faciunt. Quod autem obicitur in contrarium, momenti non est: quemadmodum enim si duæ lineæ à centro aliquo ducantur, non quò